

Prot. N. 47832/13 CA

N

Reductionis in usum profanum ecclesiae X in "Y".
(D.nus Z et alii – Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 25 maii 2015, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev. mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Atilio Card. Nicora, Leonardo Card. Sandri, Ludovico Card. Martínez Sistach, *Ponente*, atque Exc.mo et Rev.mo D.no Antonio Stankiewicz, atque intervenientibus Cl.mo Carolo Gullo et Cl.ma Alexia Gullo, utpote respective Advocato-Procuratore et Advocata recurrentium, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Auctoritatis ecclesiasticae, necnon Rev.mo D.no Paulo Malecha, Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

1. – **Facti species.** – Exc.mus W, tunc Episcopus N, anno 2008 initium dedit processui investigationis et consultationis circa structuram paroeciarum in dioecesi. Anno 2010 in loco Y una cum paroeciis P et R suppressa est paroecia X et his ex tribus unitis erecta est nova paroecia T. Ecclesia autem X adhuc per duos annos aperta maneret et deinde de re videretur. Die 11 iunii 2012 Rev.dus D.nus A, nomine Exc.mi D, nunc Episcopi N, Rev.dum Parochum paroeciae T certiore fecit de decisione claudendi ecclesiam X cum effectum inde a die 15 augusti 2012. D.nus Z et alii die 19 iunii 2012

remonstrationem coram Exc.mo Episcopo ad cautelam exhibuerunt, quam tamen Exc.mus Ordinarius decreto diei 29 iunii 2012 reiecit. Pars dein recurrentis die 18 iulii 2012 recursum interposuit hierarchicum.

2. – Congregatio pro Clericis ulterioribus notitiis et novis documentis ad rem receptis, auditisque Exc.mo Episcopo et Cl.mis partis recurrentis Advocatis, decreto diei 4 februarii 2013 recursum adversus reductionem in usum profanum ecclesiae X reiecit. Quam adversus decisionem, D.nus Z et alii die 5 aprilis 2013 provocaverunt ad H.S.T., cuius Congressus die 6 decembris 2013 causam ad disceptationem coram Collegio Iudicum admisit. Petita quoque suspensio decreti impugnati partim est concessa, ea mente ut pendente recurso Exc.mus

Episcopus ecclesiam destruere vel vendere nequiret, sed curare deberet ut ea, recursu si et quatenus favorabiliter parti recurrenti definito, denuo ad cultum divinum expedite adhiberi posset.

3. – Peragendis rite peractis, nunc Nostro Collegio huic dubio respondendum est: **An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 4 februarii 2013.**

4. – **In iure et in facto.** – Obiectum recursus ad H.S.T. est decretum Congregationis pro Clericis diei 4 februarii 2013, quo Dicasterium reiecit recursum die 18 iulii 2012 interpositum adversus decisionem, vi cuius Exc.mus Episcopus N ecclesiam X in usum profanum non sordidum reduxerat.

5. – Ad normam can. 1222, § 2, «Ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam Episcopus dioecesanus, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat».

De assertis violationibus legis in procedendo

6. – Pars recurrens allegat se notitiam non habuisse de formali decreto, quo reductio ecclesiae X dicatae in usum profanum non sordidum decisa est. Congregatio pro Clericis consequenter die 6 augusti 2012 ab Exc.mo Episcopo opportunas ad rem notitias exquisivit. Congregationi dein transmissum est decretum diei 22 augusti 2012, quo Exc.mus Episcopus reductionem ecclesiae X in loco Y statuit, una cum eiusdem Praesulis voto, et dein decretum fusius motivis quoad rationes ordinis oeconomici suffultum diei 21 decembris 2012, denuo cum eius voto. Quidquid est de decretis ab Exc.mo Episcopo latis, in hoc procedendi modo ex parte Congregationis nulla legis habetur violatio. Nam can. 1739 statuit: «Superiori, qui de recursu videt, licet, prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel si id Superiori magis expedire videatur, emendare, subrogare, ei obrogare». Scribit J. Miras quoad decretum, quo recursus hierarchicus definitur: «En la redacción se tiene en cuenta, ciertamente, la consideración de las cuestiones de legalidad, requisitos de validez, pero también se incluye la posibilidad de resolver el recurso atendiendo a motivos de oportunidad, de conveniencia, de buena administración, etc.» (*Comentario exegetico al Código de Derecho Canónico*, vol. IV, 2, Pamplona 1997, 2ª ed., 2153). Scribit insuper: «El Superior, como puede advertirse, no se encuentra limitado, en cuanto a sus posibilidades de resolución,

por las restricciones que afectan al juez en el recurso contencioso-administrativo [...] El Superior jerárquico es autoridad administrativa y resuelve el recurso *administrando*, gobernando *in actu* sobre la misma materia objeto de la decisión del autor del acto impugnado, que ha pasado a ser de su competencia; y sus atribuciones sobre la cuestión son las mismas que tenía el autor del acto, pero en un grado jerárquicamente superior» (*ibid.*).

7. – Circa necessitatem consensus eorum qui legitime habent iura super ecclesiam, dicendum est quod iura de quibus in can. 1222, § 2, «sunt praesertim iura patrimonalia vel eis assimilata, quae magna ex parte e fundatione vel aedificatione ecclesiae exsurgunt [...], quae vero non praesumenda sed probanda sunt. Attamen donationes ad ecclesiam erigendam, servandam et ornandam factae, etiam ex parte pauperum, quae omnino laudabiles sunt et in memoriam omnium fidelium grato animo revocandae, minime iura de quibus pariunt» (H.S.T. decretum definitivum diei 17 iunii 2014, coram Kasyna, *Bostonien.*, prot. n. 46790/12 CA, 3, n. 7).

Ex actis utique constat ecclesiam X dicatam aedificatam fuisse auxilio civium C qui in illo territorio degebant; minime tamen constat dictum auxilium constituisse verum ius patrimoniale. Quo pacto plures ecclesiae aedificatae sunt cooperatione liberali fidelium, quin tamen gignerent ius quoddam patrimoniale.

8. – In can. 50 statuitur: «Antequam decretum singulare ferat, auctoritas necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quantum fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possint». Ex actis constat quod auditi sunt: Rev.dus Parochus paroeciae T, Rev.dus Vicarius foraneus, Rev.mus Vicarius episcopalis, consilium pastorale paroeciae T et nonnulli paroeciani. Insuper constat decisionem, de qua agitur, praeparatam fuisse studio ab anteriore Episcopo commendato circa tres paroecias quae erant in territorio Y. Indicationes dein una cum rationibus motivis a coetu v.d. *Called to B* paratae, in situ interretiali publici iuris factae sunt et ipsa decisio Exc.mi Episcopi in notituario paroeciali diei 16 iulii 2012. Equidem can. 50 statuit quod Episcopus eos quorum iura laedi possint tantum audiat «quantum fieri possit».

9. – Ius defensionis non denegatum est parti recurrenti, eo quod suo tempore decretum formale reductionis ecclesiae in usum profanum non cognoscebat. Rationes enim ob quas ecclesia reducta est in usum profanum non sordidum indicatae erant a coetu v.d. *Called to B*. Et ad has rationes Exc.mus Episcopus refert in decreto diei 29 iunii 2012, quo remonstrationem reiecit. Quas dein rationes saltem partim Cl.mi partis recurrentis Advocati in memoriali coram Congregatione exhibito adduxerunt. Quapropter sustineri haud potest asserta

violatio legis ob denegatum ius defensionis. Non requiritur, ceterum, in expensione recursus hierarchici contradictorium iudiciale.

10. – Relate ad auditionem consilii presbyteralis ex documentis apud Congregationem pro Clericis productis patet quod ea iam ab Exc.mo W peracta erat. Exc.mus autem D, nunc Episcopus N, in voto diei 21 decembris 2012, Congregationem certiore fecit se consilium presbyterale audivisse antequam ecclesia in usum profanum reducta esset. Et quidem, receptis litteris Congregationis diei 27 octobris 2012, idem Episcopus die 20 novembris 2012 denuo consilium presbyterale audivit, quod votum unanime protulit pro petitione Episcopi. Quapropter in procedendo nulla violatio legis habetur. In can. 1739 legitur: «Superiori, qui de recursu videt, licet, prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel, si id Superiori magis expedire videatur, emendare, subrogare, ei obrogare». Tenet J. Miras: «Se confirma la amplitud con que el Código concibe la misión del que decide el recurso: no sólo puede confirmar o declarar nulo el decreto o incluso rescindirlo o revocarlo, lo que sería congruente en un terreno estrictamente jurídico, sino que puede ir más allá, y entrando ya en la esfera misma de gobierno, “corregirlo, substituirlo o abrogarlo”. Es perceptible el deseo de obtener mayor eficacia para que el asunto quede resuelto a fondo y se evite que una decisión jurídica obligue a ulteriores tramitaciones con gastos y delaciones y la consiguiente interinidad» (*Código de Derecho Canónico*, Madrid 1988, 8ª ed., 840).

De assertis violationibus legis in decernendo

11. – Recurrentes asserunt legem violatam esse in decernendo ob defectum causarum gravium, de quibus in can. 1222, § 2.

Iuxta iurisprudentiam H.S.T. gravitas causarum fundamentum obiectivum habere debet, sed ipsa gravitas aestimanda est attentis tam circumstantiis concretis in casu habitis quam ipsa indole sacra ecclesiae tamquam domus Dei. Insuper, ad rem non sufficiunt rationes generales vel ad hoc negotium non atinentes: «Norma canonica relate ad aedem sacram observanda exigit ut iudicium Episcopi de ecclesia in usum profanum redigenda fundamento obiectivo, scilicet causa gravi, innitatur. Hoc in casu, distinguendae sunt causa ad paroeciam supprimendam et causa ad ecclesiam in usum profanum redigendam [...] Penuria sacerdotum esse potest causa ad paroeciam supprimendam, sed minime ad usum profanum redigendam» (H.S.T. sententia definitiva diei 21 maii 2011, coram Burke, *Loiden.*, prot. n. 42278/09 CA, 4, n. 5).

Episcopus dioecesanus suo decreto diei 21 decembris 2012, explicat pondus causae gravis quod aequum reddit ecclesiam X reductam esse in usum profanum

non sordidum. Hae sunt adductae rationes: «Concerns pertaining to the physical structure of the Church buildings; Financial concerns; Changing demographics of the Y community; Dwindling Mass attendance; The population of the new parish can be accommodated in one location; Closure of the Church building will not result in harm coming to the good of souls; Greater unity for newly created parish; The parish has been suppressed; Presbyteral Council, Regional Episcopal Vicar, Vicar Foreign, Parish Pastoral Council, and the Pastor are all in favor of the relegation; Future reasons are foreseen for the need to reduce the number of worship sites».

In voto eiusdem Episcopi explicantur rationes adductae. Sustinetur ecclesiam de qua indigere praecipuis interventibus cum refectionibus, quae indicantur. In decreto Congregationis pro Clericis diei 4 februarii 2013, quo resolvitur recursus, affirmatur allegatas causas causam sufficientem a norma canonica requisitam constituere. «Causae ergo a lege requiruntur graves, nec gravissimae: excluduntur igitur nugae vel causae quae suapte natura graves haberi nequeunt, dum e contra gravitas causae, etsi apparenter levi innititur fundamento, diversimode aestimari potest si diligenter considerentur circumstantiae vel loci, vel rei oeconomicae vel personarum, quae Ordinario apprime innotescunt: re quidem vera quaestio est facti» (H.S.T. sententia definitiva diei 4 maii 1996, coram Agustoni, *Greensburgen.*, prot. n. 24388/93 CA, 5, n. 6).

Signatura Apostolica, munere quo pollet de legitimitate actus in decernendo videndi, posthabere nequit laborem in dioecibus impensum ad rite ducendam vitam pastorem, quae importat inter alia perquisitiones paroeciarum necnon ecclesiarum sive paroecialium sive non, prae oculis habitis circumstantiis uniuscuiusque dioecesis, attenta praesertim oeconomia disponibili ad occurrendum necessitatibus ecclesiarum et fidelium. Praesumenda est – uti docet doctrina iuris – legitimitas actus ab Auctoritate ecclesiastica positi, cum decidit destinationem ecclesiae in usum profanum non sordidum, praehabitis studio et consultationibus sufficientibus, attenta mutatione societatis ob saecularizationis processum, ubi peculiare pondus obtinent officium evangelizationis et bonum totius dioecesis.

In actis existunt multa studia seu “*Diocesan Implementation Commission Review*” de “*L, Region M*”, ad quem pertinet etiam ecclesia X. Habentur variae “*Annual L evaluations*” pro anno 2009-2010, pro anno 2010-2011, et pro anno 2011-2012, necnon “*Annual L Report*” diei 9 maii 2011, etc. Quare, non requiritur super malam conditionem ecclesiae nova peritia, nam «eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet». Documentum “*Evaluation of multiple worship site*”, diei 5 novembris 2012 tractat non solum de mala conditione ecclesiae X, sed etiam de aliis duobus argumentis, nempe de condicionibus oeconomicis ecclesiae et de demographia in regione Y declinante.

Exc.mus Episcopus tres relationes H.S.T. transmisit de condicione oeconomica paroeciae T tempore eiusdem suppressionis et de condicione oeconomica paroeciae T tempore reductionis in usum profanum ecclesiae X dicatae. In prima relatione emergit debitum quoddam paroeciae X tempore suppressionis, quod in posterum augeri praesumebatur. In secunda relatione emergit debitum adhuc maius novae paroeciae T tempore reductionis in usum profanum ecclesiae X. E tertia relatione emergit mala condicio ecclesiae X tempore reductionis in usum profanum.

12. – **Conclusio.** – Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Non constat de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis por Clericis diei 4 februarii 2013.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Recurrentes suo Cl.mo Advocato-Procuratori suaeque Cl.mae Advocatae atque Auctoritas ecclesiastica suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die XXV maii MMXV.

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*
Atilius Card. NICORA
Leonardus Card. SANDRI
Ludovicus Card. MARTÍNEZ SISTACH, *Ponens*
✠ Antonius STANKIEWICZ

Et notificetur
Die 10 iulii 2015

Ioannes Paulus MONTINI, P.I.
Vices Exc.mi Secretarii agens

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ. m.g.
Moderador Cancellariae